




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-326848-p0001-4

DFO



17

1696 13

DECANUS  
ORDINIS JCTORUM  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI,

**GODOFREDUS**

**Strauß / JCtus,**

Potentiss. Electoris Saxoniæ in summo Appellationum Judicio, nec non Sereniss. Principis Anhaltino Servestani Consiliarius Aulicus, Decretal. in Academia Wittenbergensi Prof. Publ.

& Facult. Juridicæ Ordinarius ac Senior,

*L. S. P. D.*



DECAINAE  
ORPINS ICTORUM

in ACADEMIA VITERRONEA

EDITIONIS

ALBICIAE

BONONIENSIS EXCOVATI IN 1591

ALBEDONIENSIS LUDICIO NEGATION

SECEPTEMBER ALBEDONIENSIS SAVELLIANI


COTYLLITIA AULICAS DECIMI IN ACS

CHURCH'S WITNESSEZ DEUTERIUS PRO PAP


35 FEBRVS JULIDIOS OBIAN

P. 2. A.





## Jesu Juva!



Vod de hereditatis o-  
mittendæ facultate Jure  
Romano sanctum reperitur,  
qvoad liberos non videba-  
tur carere dubio. Sive enim  
reverentiæ debitum, qvo  
Lex æterna liberos constrin-  
git, sive Patriæ potestatis vinculum ac vim spe-  
ctes, utrobiqve liberis necessitas in Parentum bo-  
na succedendi eaqve capessendi oppido incum-  
bit. Et vero ut illam, cum abs se satis ex lumine  
rationis pateat, præterea in præsenti, hujus in-  
cunabula diligentius paulo evoluta assertum il-  
lud superius fatis stabilire ac firmare videntur.  
Sicut ex Decreto nempe divino Adamo in Eam:  
ita cuilibet deinceps Patrisfamil. in uxorem suam  
competiit imperii axioma. Cum vero per rerum  
naturam non possit qvam venter melioris condi-

A 2

tio-

tionis esse partus, in liberos ex matrimonio pro-  
gnatos natus quoque potestatem Pater. Hanc,  
ut reliqua taceam, immensam & plane ~~despotinu~~  
in liberos suos exercuerunt, cum primis in Republ.  
sua Romani vid. L. 22. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.  
§. 2. J. de Patr. pot. Erant enim iidem in Parentis  
sui manu potestate ac mancipio. Quinimo ex  
Lege Romuli, Reipubl. Romanæ Statoris, repetita  
postea ac confirmata à Decemviris Ipsi jus vitæ ac  
necis in illos competebat d. L. 22. §. 2. L. 11. in fin. ff.  
de Lib. & Post. L. uli. C. de Patr. pot. nec non po-  
testaster eosdem vendendi. Videatur tabula quar-  
ta L. 12. Tab. L. 2. C. de Patr. qui lib. distr. Bachov.  
& Vinn. ad §. 6. J. Quib. mod. jus Patr. pot. solv.  
Qvod absolutum in gnatos arbitrium etiam post  
mortem Genitorum suos spirabat effectus. Po-  
terant enim hi, si testamentum condebant, pro ar-  
bitrio liberos suos heredes instituere vel nomina-  
tim eosdem exheredare L. 30. ff. de lib. & post. pr.  
J. de Exhered. Lib. Qvorsum iterum faciebat 12.  
Tab. Lex Tab. 5. L. 1. de Testament. Paterfamilias  
uti legasset super pecunia tutelave suæ rei ita jus  
est. L. 120. de V. S. pr. J. de Leg. Falcid. Nov. 22.  
Cap. 2. pr. Cicero i. Rheticor. ad Herennium Si-  
mon Levius in Not. ad Fragm. leg. 12. Tabl. c. l.  
Vissenbach. ad cit. L. 120. ff. tb. 10. Ex adverso,  
si intestatus decedebat Paterfamilias, liberi in Patria.

011

s A

Pote-



Potestate constituti & gradu proximi ejus pariter ex Lege 12. Tabularum erant sui & necessarii heredes §. 2. *Inst. de Hered. Qual. & differ. L. 7. de Bon. Damn. L. 220. ff. de V. S.* Qvod qvidem verbum *Sui* non commune in præsenti aut oratorium est; sed I<sup>c</sup>torum proprium vid. *Franciscum Hotto-mann. Lib. 9. Observ. Cap. 10.* Nominantur etenim liberi non heredes sui jure Civili; sed sui heredes congruo artis termino. Ita mulier suum heredem paritura L. 31. §. 1. ff. *de Acquir. vel om. hered. ex adverso fœminia suum heredem non habere dici-tur, L. 4. §. 2. ff. de Bon. Poss.* In similem modum spem esse, ut suus heres defuncto existat, Lex penult. §. 1. *Und. Leg. ac filium Patri suum heredem, existere, Lex 45. §. 1. f. de Neg. gest. perhibent.* Ex qvo onere tamen & honor liberis existit: qvippe qui domestici heredes sunt, & vivo qvoqve Patre qvodammodo domini existimantur §. 2. f. *de He-red. Qual. & Diff. §. 3. Inst. de Hered. quæ ab in-test. def. L. 11. ff. de Lib. & Post.* Hinc apud Teren-tium Heavontim. Act. 1. Scen. 1. vers. 95. Chremeti Menedemus ita loquitur :

Decrevi tantisper me minus injuriæ,  
Chreme, meo gnato facere, dum vivam, miser  
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui  
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.  
i.e. heres meus. Unde & passim in Comædiis Do-



minorum filios heros minores cognominabant  
Servi. Qvorsum pariter facit, qvod hereditatem  
Paternam iidem non cernere vel adire; sed immi-  
scere se ipsi ac rursus non repudiare eandem; sed  
abstinere se ab illa prædicabantur. Olim qvidem  
cretione hereditas accvirebatur, h. e. aditione so-  
lenni, verbis solennibus fieri solita, adhjbitisqve te-  
stibus. Postqvam enim Testator ita scripserat in  
testamento: *Titius heres esto, cernitoq; in diebus*  
*centum proximis, quibus scieris poterisq; : nisi ita*  
*creveris exheres esto.* Testatore mortuo heres  
nominatus verba cretionis recitabat hoc modo:  
*Cum me Mevius heredem instituerit, eam heredita-*  
*tem adeo cernoque.* Ulpianus in *Fragm. Tit. 22. §.*  
27. 28. eaqe verba in præsentia testium, qvi vide-  
ant illum heredem esse, proferre tenebatur Varro  
Lib. 5. de Ling. Latin. Uthinc heres cum constituit  
se heredem esse dicatur cernere & cum hoc fecerit  
creuisse. Verum ista cretio & certorum dierum  
spatium qvod dabatur heredi instituto ad delibe-  
randum, utrum expediat ei adire hereditatem nec  
ne Ulpianus c. l. §. 37. in suis heredibus plane cessa-  
bat; qvippe qvi Parentum heredes non fiunt; sed  
ipso jure existunt, L. in suis 14. ff. de suis & legit. he-  
red. h. e. qvod dominium actu primo vivis adhuc  
Parentibus tenebant, actu id secundo iisdem mor-  
tuis conseqvuntur L. ult. §. 2. C. de Curat. Fur. Qvod  
porro



porro argumento inservit suis heredibus existen-  
tibus non dari hereditatem jacentem arg. L. 1. §. 7.  
ff. si quis omiss. caus. testam. L. 68. pr. de Leg. 1.  
qvoniam jus sui seu suitas omnium jurium, qvæ a-  
pud defunctum Patrem fuerunt, ad descendentes  
proxime in ejus familia constitutos qvandam qva-  
si continuationem immediate inducit L. 11. ff. de  
Lib. & post. Fiunt namqve sui heredes etiam igno-  
rantes : qvod in furoris ac infantibus præclare  
cernere licet §. 3. Inst. de Hered. quæ ab intest. def.  
qvibus nec tutoris auctoritate hic opus est, qvoni-  
am a morte Parentis dominium quasi continua-  
tur dict. §. 3. Unde qvoqve fluit, qvod si decesser-  
it suus heres, jus hereditarium ipso jure in  
qvoscuriique heredes transmittat L. un. §. 5. & 13.  
C. de Cad. toll. L. 8. C. de Suis & Leg. hered. jung. L.  
84. ff. de arg. vel om. hered. Struv. Exerc. 34. ad  
ff. tb. 21. Qvod si ergo istius reverentiæ Parenti-  
bus a liberis debitæ sanctitatem, quod si obsequi-  
um inviolabile, si immensam Patriæ potestatis  
vim & egregia denique, qvæ liberis in Parentum  
bonis jus Civile tribuit beneficia, de qvibus hacte-  
nus verba fecimus, nobiscum recognoscimus, memo-  
rata ab initio dubitatio iterum vellicat, non posse  
liberos in potestate positos & gradu proximos o-  
mittere ac destituere Patris hereditatem.. At e-  
nim vero illis omnibus haud consideratis jus po-  
steri.



sterius copiam dat liberis abstinenti se a paterna  
hereditate. Prætor enim his volentibus permit-  
tit abstinere hereditate: ut potius Parentis, qvam  
ipsorum bona possideantur §.2.in fin. Inst. de He-  
red. Qual. & differ. Id qvod ex edicto provin-  
ciali tradit etiam Gajus L.57. pr. ff. de Acquir. vel  
om. hered. hisce verbis: Necessariis heredibus non  
solum impuberibus, sed etiam puberibus abstinenti  
se ab hereditate Proconsul potestatem facit: ut  
quamvis creditoribus hereditariis Jure Civili te-  
neantur; tamen in eos actio non detur, si velint de-  
relinquere hereditatem. Sed impuberibus qui-  
dem etiam si se immiscuerint hereditati, praefat  
abstinenti facultatem: puberibus autem ita, si se  
non immiscuerint. Mirum qvidem hoc videri  
poterat, qvoniam Prætor Juris Civilis minister, tol-  
lere hoc, immutare ac abrogare haud poterat. L.  
Cum Sponsa 12. §. 4. ff. de Publ. in rem act. L.12. §.1.  
ff. de Bon. Poss. qvod tamen hic omnino fieri vi-  
deatur, dum liberis abstinenti potestatem con-  
cessit Prætor. Sed salva res est: siqvidem abstinen-  
tis istud jus non suitatem in totum eliminat;  
sed effectum saltē qvendam indeclinabilem scil.  
capessendi hereditatem paternam necessitatem  
temperat, moderatur ac mitigat. Cum enim he-  
reditatis qvæsitæ hæc esset vis, ut qvamvis solven-  
do eadem non existeret, tamen ad æs alienum o-  
mne



mne exsolvendum adstringerentur heredes L. 8.  
ff. de Acquir. vel om. hered. qvamvis se bonis  
Paternis abstinere parati forent: præterea res he-  
reditariæ eorum nomine publice vendi solerent  
eaqve venditio licet infamiam juris non irrogaret,  
qvemadmodum nec cessio L. 11. C. Ex. quib. caus.  
infam. irrog. maculam tamen qvandam inferret  
pudoremqye ac existimationem alienantium apud  
bonos & graves Viros oneraret arg. l. 3. ff. Quæ in  
fraud. Cred. ; liberorum, famæ parcere Prætor  
voluit, æqvius esse existimans, ut bona Parentis  
potius mortui, nomine, qvam liberorum adhuc  
superstitum ac viventium distraherentur. L. Pa-  
terfamil. 28. ff. de Reb. auct. jud. poss. Qvam e-  
nim semper ob oculos habebat Prætor humanitas  
postulare videbatur ut liberi, ciues paritet Roma-  
ni & prout spes erat, bene de Republ. merituri ab  
isto onere immunes præstarentur. Satius enim  
idem esse putavit, ut ex duobus qvi pari conditio-  
ne sunt, potius Patris defuncti nomine, qvam filii  
viventis, non sentientis nomine, qvam sentientis,  
se hac injuria affici, bona possideantur aut diven-  
dantur, Vid. Vinn. ad cit. §. 2. Inst. num. 5. Proinde  
ex necessariis qvidem vi ipsa voluntarios effecit  
heredes Prætor, haudqvaquam vero extraneos.  
Nam & ipso jure adhuc sui heredes manent liberi  
L. 30. §. 10. ff. de Fideicomm. hered. L. 7. §. 10. ff. de

B

Minor.



*Minor.* qvamvis propter beneficium Prætorium  
in eosdem actio non detur. Sed vero de argu-  
mento hoc plura in præsenti differere nihil attinet:  
qvandoqvidem labore hoc nos sublevavit Præ-  
Nobilis ac Clarissimus Candidatus Noster JOHAN-  
NES SIGISMUNDUS Birnbaum/ Dresdensis Misni-  
cus, qvi Licentiam summos in utroque Jure Honores  
impretaturus, de Omissione hereditatis per-eruditam  
Disputationem publice ventilandam Autor conscrip-  
tit, illudqve Thēma cum ex Theoriæ apicibus eruit,  
tum fori observantia ac præjudiciis non vulgaribus  
comprobavit, firmavit ac eximie illustravit: de cu-  
jus ortu, institutione, studiorum progressu ac Juris-  
prudentiæ cultu ex hoc loco nonnulla commemora-  
re, institutum Majorum exigit.

Natus vero Noster est Dresdæ, d. XI. Augusti Anno  
1671. Patre Illustri ac Excellentissimo Viro, DN. JO-  
HANNE ABRAHAMO Birnbaum/ Potentiss. ac Se-  
reniss. Ele&t. Saxon. Confiliario intimo incomparabi-  
liter merito, & Capituli Wurzenfis Præposito maxime  
Venerando, Patrono summâ cum observantia colen-  
do; Quocum communia tractasse studia Lipsiæ quon-  
dam, magno sæpius cum gaudio recordor, vimq; Inge-  
nii ejusdem divinam ac morum elegantiam recogito  
non semel mecum ac impense admiror. Nec præteri-  
re Avum beatiss. hic possum, Nobilissimum ac Expe-  
rientissimum Virum DN. ABRAHAMUM Birnbaum/  
Confiliarium Elect. Sax. & per longissimum temp9 Ar-  
chi atrum Seniorem, optime meritum. Matrem ve-  
ro habuit Nobilissimam ac omnibus Virtutibus maxi-  
me conspicuam fœminam DOROTHEAM MARI-  
AM, ex percelebri FINDEKELLERIORUM familia  
ori



oriundam. In educando hoc genito suo summam & singularem diligentissimus & prudentissimus Pater, una cum Matre pientissima adhibuerunt curam. Privatae vero institutioni deinceps ille erudiendus in politicioribus literis traditus fuit: qvô nomine potissimum collaudat ac prædicat Clarissimos ac plurimum Reverendos Viros Mag. Johannem Christianum Bonne/ Archi-Diaconum Jüterbocensem, vita ante annos aliquot beate defunctum: nec non Mag. Valentini Schulzen/ Pastorem nunc Scandaviensem; tum quoque Mag. Georgium Ermelium, Scholæ Provincialis Grimmensis Collegam Tertium, ac denique Mag. Christianum Heiderum, Scholæ Portensis Collegam ibidem Tertium. Post hæc humanioribus literis ac Philosophiae primordiis satis imbutus Noster Venerandi Parentis consilio ac jussu Lipsiensem petiit Academiam. Receptus oppido in Album ejusdem, Rectore tum temporis Magnif. Dn. Licent. Antonio Günthero Heshusio, Prof. Publ. celeberrimo, die 22. Septembr. Anno 1691. eò potissimum nervos omnes intendit, ut bonis Artibus ac Disciplinis animum perficeret. Qua fini Virorum Excellentissimorum ac Amplissimorum Dn. Licent. Adami Rechenbergii, Historiarum & Græcæ Linguæ, nec non Dn. Licent. Johannis Schmidii, Eloqvent. Professorum Publ. meritis ac fama Clarissimorum. Informatione privata eaque fidelissima usus non inanem eruditionis umbram captavit; sed solidam, quæque cum primis Jurisprudentiæ studio inserviret, sibi comparavit. Ut vero in hoc expeditius non tantum, sed & auspiciatus Idem procederet, Scholas Consultissimorum ac Amplissimorum Virorum Dn.

Quinti



Quinti Septimii Florentis Rivini, Scabinatus Lipfien-  
sis Assessoris gravissimi, Fautoris ac Amici nostri  
Colendissimi, nec non Dn. Godofredi Barthii, & Dn.  
Georgii Beyeri, J. U. Doctorum admodum celebri-  
um ac Practicorum, quos vocant, insignium sectatus  
est, qui principia & ipsam Juris artem Nostri discen-  
di cupidissimi animo instillaverunt, impresserunt,  
incolcarunt, nec minus Primus & Secundus fori doctri-  
nas ac observantiam addiderunt. Ita ergo verae Juris  
Philosophiae scientia imbutus ac studiorum suorum fi-  
duciam habens non ita pridem huc venit, summos in-  
utroq; Jure honores capessendi Licentiam impetratu-  
rus. Cum ergo ut admitteretur ad specimina consueta  
à Collegionostro ea qua pars est reverentia petisset, no-  
luit istud petitioni ejus honestae deesse. Sustinuit dein-  
ceps examen utrumque Noster & cum bene satis ste-  
tisset, dignum eum censuimus, qui voti ac desiderii  
sui compos fieret. Futuro igitur Martis die Præside  
Nobilissimo, Consultissimo ac Excellentissimo Viro,  
Dn. Johanne Henrico Bergero, JCto ac Antecessore in  
hac Academia famigeratissimo, Potentiss. Electoris  
Saxon. Consiliario Magnifico, nec non Collegior. Ju-  
ridicorum, quæ hic sunt, ut & Judicij Ducalis in in-  
feriori Lusatia Assessore gravissimo, Affine Compatre  
ac Collega honoratissimo superius memoratum The-  
ma Disputatione solenni publice propugnabit: Cui Pa-  
negyri ut Rector Magnificus, Perilluistris Liberi Baro,  
Patres Academiæ Conscripti, ac in universum omnes  
Jurisprudentiæ Fautores ac Æstimatores, imprimis  
etiam Nobilissima studiosa Juventus, frequentes adesse  
velint, summopere ac perhumaniter oro rogoque.

P.P. Dominica Rogate, Anno M DC XCVI.

¶ (o) 80




Wittenberg, Diss., 1696-97



TA → α

VDM





**Farbkarte #13**

B.I.G.



DECANUS  
ARDINIS JCTORUM  
ACADEMIA WITTENBERGENSI,  
ODOFREDUS  
Strauß / JCtus,  
iss. Electoris Saxoniae in sum-  
pellationum Judicio, nec non  
. Principis Anhaltino Servestani  
rius Aulicus, Decretal. in Aca-  
ia Wittenbergensi Prof. Publ.  
Facult. Juridicæ Ordina-  
rius ac Senior,

*L. S. P. D.*

1696 12

17

20

